Q. D. B. V!

DISSERTATIONEM MORALEM

DE

MORALITATE CEREMONIARUM CIVILIUM,

Inclytæ Facultatis Philoſophicæ

Indultu

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

IN

ALMA LIPSIENSI

PRÆSIDE

M. SAMUELE Groſſer/

Olsn. Sileſ.

Placido Eruditorum Examini

ſubmittit

Autor & Reſpondens

CHRISTIANUS Junge/

Zittavienſis.

D. XVII. Aug. A. MDCLXXXIX.

H. L. Q. C.

LIPSIÆ,

Typis CHRISTOPH. BALTHAS. LAMPII.

INCLYTÆ

ZITTAVIENSIS REIPUBLICÆ

SENATUI MAGNIFICO

Sacrum eſſe cupit

Primum hoc ſpecimen laboris Academici,

atque

In Signum debitæ gratitudinis ob beneficia in ſe collata,

[illegible]

[illegible] Studiorum [illegible], [illegible]

[illegible]

humillimè offert

AUTOR & RESPONDENS.

Q. D. B. V.

CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

CEremoniarum vox excutitur §. 1. 2. *Definitio* §. 3. *Tractandi Propoſitum* §. 45. *Primæ Quæſtioni de introducendi Jure* (1) *præmittitur inveſtigatio Principiorum ex ſtatu naturali* §. 6. 7. 8. 9. 10. 11. *ſociali* §. 12. 13. 14. (2) *inde elicitur forma cum Adjunctis* §. 15. 16. *Diverſitas orta ex ſubjectis* §. 17. 18. *Objectis* §. 19. *Finis* §. 20. *qui illuſtratur variis ceremoniarum exemplis* §. 21. *ſeqq.* (3) *concluſio formatur* §. 29. (4) *Applicatur ad ceremonias ſuperiorum, quas vel mediatè vel immediatè præſtant* §. 30. 31. 32. 33. *Inferiorum quæ ſuperiorem directè* §. 34. *indirectè* §. 35. *tangunt. Quæſtionis alterius de vi obligandi* §. 36. *occurrit* (1) *Explicatio quoad Perſonas* §. 37. 38. *Ceremonias* §. 39. (2) *Solutio quoad Privatos* §. 40. *Illuſtres natalibus* §. 41. *Officiales* §. 42. *Legatos charactere repræſentativo exornatos* §. 43. 44. *Charactere repræſentativo deſtitutos.* §. 45.

§. 1.

CEremoniarum nomen, ſi originem ſpectemus, dubiis opinionibus Autorum traducitur & explicatur. Alii à Cœre oppido Vocabulum deducunt, cum talis oppidi in Tuſciâ ſcriptores priſcos meminiſſe conſtet: Alii Hetruriæ populos originem Vocabulo dediſſe aſſerunt, quod, captâ à Gallis Româ, *S*acros Romanorum ritûs benignè receperint. Utcunque tamen hi pro iſtâ, alii pro aliâ denominatione pugnent, ſi ex uſu litem æſtimemus, frequentisſima de Sacris ritibus Vocabuli iſtius fuit uſurpatio.

§. 2.

Inde poſtmodum Vox ad Politicorum Caſtra trahi cœpit. Quod factum eſt, ex quo Sepulchralia hoc nomine venerunt. Namque Ciceronis

ceronis ævo Sepulchrorum Ceremonias vocari conſveviſſe ritûs efferendi mortuos, abundè patet, ſi inſpiciantur Qvæſtiones Tusculanæ. Qvodſi verò pedem promovere lubet, & diſpicere quâ ratione vocis applicatio civilibus negotiis accommodata fuerit: rem ipſam deprehendere, de fundamento facti vix conjicere licebit, niſi dicere velimus ad externum actum reſpexiſſe Veteres, & ab Analogia deduxiſſe rationem uſurpationis.

§. 3.

Hodie ceremoniarum Titulo veniunt: ritus externis geſtibus aliisque actionibus conſtantes, in certis negotiis recepti ac inventi ad expreſſionem interiorum animi conceptuum.

§. 4.

Hoc ſignificatu etiam Eccleſia Phraſin iſtam ſuis ritibus applicuit, ceu ex legis Ceremonialis Titulo pateſcit. At de iſtis Ceremoniis dicere alterius eſt loci; Hinc non excurremus altius quàm ex Rubrica noſtræ Diſſertationis animo decrevimus: Sed intra Terminos Ceremoniarum Civilium ſubſtituri, in illarum conſtitutionem h. e. Ortum & Effectum unà cum annexis inquiremus.

§. 5.

Duobus autem membris inſtitutum noſtrum abſolvemus, & in priori videbimus: *An aliqua gens ſibi poſſit certas Ceremonias conſtituere?* in altero: *an ad ceremonias receptas & longinquo uſu firmatas poſſit obligare alios ad ſe venientes?* Qvicquid enim circa hanc materiam moveri poteſt, illud omne partim his duabus Sectionibus includi poteſt, partim ad easdem commodè reduci.

§. 6.

Prima Qvæſtio de Ceremoniarum introductione non ex alio fonte poterit deduci, quàm ex eo, quem in doctrinâ de Principiis decori ponimus. Et hic quidem obſervatum fuit hactenus, materiam hanc nondum ſat diſtinctè traditam fuiſſe. Nos interea pro modulo ingenii experti, unde huic materiæ Lux aliqua accendi qveat, credimus, quæ hominem concernunt, non aliunde quàm ex hominis naturâ atque con-

conſtitutione deducenda eſſe, & exinde etiam non parùm de Decore hominis & quidem commodisſimè poſſe judicari.

§. 7.

Supponimus itaque hominis Dignitatem & Præſtantiam, quæ & àb externâ partium figurâ atque diſpoſitione menſuratur, & ab internis facultatibus earumque uſu ſatis elucеſcit. Namque in homine præprimis eſt accurata omnium membrorum ſymmetria multis qualitatibus ornata, quæ aſpectum feriunt & mirâ ſvavitate oculos oblectant. Levia verò hæc tametſi nihilominus attendi mereantur, non attingunt tamen Dignitatem & præſtantiam interiorum facultatum animi. Harum enim beneficio cognoſcere & judicare poteſt homo, quid naturæ atque conſtitutioni ſuæ ſit conveniens: poteſt illud etiam appetere, & motum organorum corporis præſcripto rationis decenter conformando exeqvi. Qvæ omninò neutiqvam in bruta cadunt, adeòque homini inſignem conciliant Prærogativam.

§. 8.

Supponimus porrò: Hominem hujus Præſtantiæ ac Dignitatis probè eſſe conſcium. Nam ſi ſuæ Speciei individua individuis aliarum Specierum prælucente rationis lumine opponat: fieri non poteſt, quin ex collatione iſtâ prævio examine perfectionem ſuæ Speciei inferat, & præſtantiam, quam ſingulis ineſſe vidit, beneficio abſtractionis in naturâ omnibus communi eſſe, atque ſibi etiam competere, evidenter animadvertat. Hinc mens humana neceſſariò in contemplatione propriæ virtutis atque pulchritudinis ad æſtimationem ſui ipſius progreditur, & peculiari Philavtiæ ſenſu tangitur.

§. 9.

Atque ex his fluit: Hominem naturæ ductu eò ferri, ut apud alios opinionem & exiſtimationem ſuæ dignitatis excitet & etiam conſervet: Hunc in finem adhiberi ſigna quibus præſtantiam teſtetur & demonſtret: Eum etiam teneri, ut præſtantiam in aliis ſuæ Speciei individuis, quippe quæ non ſunt deterioris conditionis ac naturæ, ſedulo obſervet: ſique videat eandem debitâ induſtriâ excultam atque demonſtratam eſſe, venerationem & amorem: ſi neglectam aut abuſu deformatam, indignationem ſubinde rependat.

§ 10.

Verbo: Ab objectis motus animi, ab hoc deinde motus organorum corporis dependent. Hic verò cumprimis duo ſunt præſupponenda: ſcilicet: naturam velle ut loco-motiva corporis animi imperio decenter conformetur: animus ipſe autem antecedenter non obiter & perfunctoriè, ſed attentè ſuis partibus defungi ſtudeat.

§. 11.

His præmiſſis Homini naturâ triplices geſtûs atque ceremonias familiares eſſe deprehendimus: Authoritatis ſive Gravitatis, indignationis, & benevolentiæ; ibi ad ſe ipſum reſpicit, hic ad alios, qui ipſum diverſimodè movent, prout vel actiones naturæ convenientes exſerunt, vel aliqua committunt, quæ dignitati ac Præſtantiæ humani generis repugnant.

§. 12.

Atque ita quidem in Statu naturali hominum fons ceremoniarum atque rituum ſe habet; quod ſi tamen ad Civilem etiam progrediamur, paulò aliter de Dignitate ac Præſtantia judicare jubet ratio. Namque Status naturalis Perſonarum omnium æqualitatem infert, adeòque etiam exemptionem à Civili alicujus Superioris jurisdictione innuit. Simul ac verò homines mutuo conſenſu imperium in ſe certis individuis cum aliquâ Præeminentiâ deferentes Statum naturalem expirare paſſi ſunt, & in civitatem côjerunt: ſublata ſimul eſt æqvalitas, & tota Civium ſocietas in Superiores & inferiores, ſ. in imperantes & ſubjectos diſtingvenda fuit.

§. 13.

Nec minus etiam opinio Præſtantiæ ac Dignitatis non ex facultatibus naturâ competentibus, ſed ex acceſſoriâ civili poteſtate, & jure, quod in alios alicui conceſſum erat, cœpit æſtimari. Hæc enim Qvalitas moralis inferioribus erga ſuperiores obſervantiam impreſſit, eamque apertis Signis & indiciis ſufficienter demonſtrari voluit.

§. 14.

Jam ſiſtamus nobis ante oculos libertatem voluntatis humanæ, quæ & ad diverſa tendere, & tametſi eadem quandoque appetat, diverſimodè

ſimodè tamen in ea propendere poteſt ne dicam poſitâ propenſione in objectû, actum tamen penitus ſuſpendere: Examinemus porò Rerumpubl. conſtitutionē, quæ comuni vinculo concives inter ſe conglutinatos continet, & non poteſt facere, quin etiam externas actiones de interna animorum concordia teſtari jubeat; Conjiciemus ilicò originarium de modo in civili cultu adhibendo (etiamſi tacitum) conſenſum interceſſiſſe: & rationem hujus cultûs in initio receptam ex longinquo uſu validitatem ac vim obligandi induiſſe.

§. 15.

Hæc itaque ad dignoſcenda Ceremoniarum civilium principia præmiſiſſe ſatis erit. Si de forma interna & generali ſive omnibus communi pariter diſpicere lubuerit, videbimus eandem conſiſtere *in applicatione organorum corporis ad eum habitum & actum, qui perſonæ convenit, quam in ſtatu & negotio præſenti ſuſtinere cogimur.* Huc reſpexit quoque Cicero L. 1. Off. quando Decori naturam Poëtarum inſtitutis eſſe ſimilem demonſtrat, & *naturam nobis impoſuiſſe perſonam*, aſſerit, *magna cum excellentia præſtantiâque reliquorum animantium.* Huic perſonæ autem poſtmodum acceſſit illa, quam fortuna nobis aſſignavit, quâ quis referre juſſus eſt Regem, Nobilem, aut Ruſticum &c. aut quam ſponte nobis vindicavimus, pro internâ ad certum vitæ Statum inclinatione. Hinc conjungit has Perſonas hâc in re Gaſſendus P. E. p. 150 ſingularem laudem illi tribuens, *qui omnes actiones ea moderatione agit, ut aptè congruant illi perſonæ, quam indutam ſ. â natura ſ. â fortuna ſ. a voluntate ſua habet.* Atque ad eandem metam etiam reſpexit Velthuſius *Diſſ. Epiſt. de Principiis J. & D. p. 89.* quando hanc concluſionem dicit: *Deum non reliquiſſe homini arbitrarium, eos geſtûs, receſſûs & membrorum flexûs adhibere, qui repugnant iſti perſonæ quæ ipſi in hac mundi Scena agenda eſt.*

§. 16.

Hanc applicationem organorum corporis cum adjunctis certis fieri experientia evincit. Cicero naturam, *ordinem, conſtantiam & moderationem* commendare probat: aut, quod idem eſt, *formoſitatem, ordinem, ornatum.* Ubi quidem formoſitas concinnitatem atque elegantiam involvit, ordo poſtulat ut ſuo quæque loco atque tempore ſuſcipiantur: ornatus cultum habitumque debitum complectitur; *uti ex Wolſio excerpſit Rachelius ad H. L. p. 211.*

§. 17.

Magna tamem Ceremoniarum eſt diverſitas, ſi ritus apud hos vel illos populos recepti conferantur; Cujus rei non poſtrema cauſa in *diverſitate Subjectorum* ſita eſſe deprehenditur. Qui enim minus mobili ſunt animo, & naturæ ductu gravitatem præ ſe ferunt, rariores ſunt in Ceremoniis, conſtantes tamen, & earum quas introduxerunt tenaciſſimi. Qui verò concitatiori Spirituum meatu gaudent & ad levitatem proni ſunt, impulſum hunc internum moribus levitate mixtis edunt, & membra corporis ad amœnitatem & varietatem quamvis facillimè diſponunt. Qvos externa magis quàm domeſtica afficiunt, quin & ipſa curioſitas ad Studium novarum rerum invitat: hi aliorum mores imitantur, receptisque tàmdiu utuntur, donec ad genium Seculi novi geſtûs atqve ritûs fuerint excogitati. Illud Hiſpanorum declarari poterit Exemplo: Alterum in Gallis hactenus compertum eſt: Hoc in Germanis conſpici, permultis libuit aſſerere: nec ibimus tantopere inficias, rati modum ſedulò ſervari, & mutandi conſvetudinem proindè vitio carere.

§. 18.

Multum ergo intereſt, num populorum ratio ſit rectè informata, num autem affectibus & Præjudiciis turbata, aut ob defectum debitæ culturæ ſibi nimium relicta? Nam prout Subjecta ſunt, ſic Ceremoniæ ſe habent. Moratiorum Gentium ritûs intra terminos decori eâ, quâ convenit concinnitate, Harmoniâ & conſtantiâ ſubſiſtunt, ac peculiarem animi modeſtiam oſtendunt: Barbari ſeveritatem atque truculentiam ſectantes in favorabilioribus remiſſi, in odioſis contra plerumq; nimium effuſi ſunt. Sic Turcarum Tartarorumque, & qui horum ingenia attingunt, rara eſt membrorum corporis ad aliquam civilitatis conſvetudinem accommodatio. Et incolas in Albione inſula inter Ceremonias lugubres corpus faciemque lacerare tradit *Draco, in deſcript. Navig.*

§. 19.

Altera diverſitatis ratio eſt *in objecto & opinione, quam de ejus Præſtantiâ & Dignitate animo fovent gentes.* Prout enim hæc opinio vel eſt intenſior vel etiam remiſſior, ita quoque Ceremoniarum uſus

quoad

quoad gradum variat. Liceat hic provocare ad Nationes Aſiaticas; quæ liberarum Rerumpubl. parùm gnaræ, & ſervitutis jugo adſvetæ, veluti Divinitatis Characterem in Perſona Regum latitare credunt, ac propterea ad infimam abjectionem usque, ſigna animi ſubjectionem declarantia produnt. Sic in Japoniâ Provinciarum Domini, quos Regum Titulo afficiunt, Imperatorem velut Numen venerantur, eo conſpecto in genua procumbunt, demiſſo ad terram capite; Miniſtri quorum tamen numerum ultra ternarium extendere non licet, dum ingrediuntur aulam, toto corpore procumbunt, ut humilitatem indicent, referente *Montano* in der Geſandſchafft an den Käyſer von Japan f. 48.

§. 20.

Conveniunt tamen ceremoniæ ſi ſpectemus *finem*, ad quem diriguntur. Nam teſtari debent de interno cultu, quo Perſonæ ſe invicem reſpicere tenentur. Ita ſuperiores erga inferiores Majeſtatem, Authoritatem, aut Benignitatem; inferiores erga ſuperiores Reverentiam, Obſervantiam, Subjectionem; Æquales inter ſe Benevolentiam teſtari cupiunt.

§. 21.

Ad hunc ſcopum enim tendunt ritûs: *Detegendi caput, Porrigendi manûs oſcula figendi, genua flectendi, corpus incurvandi*, quin & *adorationis conſuetudo*.

§. 22.

Capitis detectio Europæis omnibus, (ſi eos exceperis qui *Scyticas ruinas* patiuntur) familiaris eſt, nec citra præjudicium læſæ reverentiæ ab inferioribus temere omitti ſolet, niſi Jus tegendi caput in præſentia Superioris ſpeciali Privilegio ſit acquiſitum, uti de Grandibus Hiſpaniæ innotuit. Apud ſuperiores promptitudinem excipiendi preces atque deſideria inferiorum: apud inferiores attentionem in excipiendo mandato ſuperioris inferre videtur. Quanquam non negaverim forſan aliam ſubeſſe rationem quam prolixius inquirere jam ſuperſedeo. Manuum porrectio ad Benignitatis, Benevolentiæ aut etiam ſecuritatis teſtimonium ſuſcipitur. Incurvatio autem omnis humilitatem aliquam referre præſumitur.

§. 23. Ge-

§. 23.

Genuflexio etiam apud Reges Orientales fuit adhibita, uti diſcimus Eſth. III. ubi Ahasverus Hamani genuflexionem deberi ſtatuebat, poſtquam ipſi Dignitatem Regiæ proximam tribuerat. Et Servatori noſtro, quod affectatæ Regiæ Dignitatis accuſaretur, genuflexione fuit illuſum Matth. XXIII. 29. Apud nos peculiare quid præſtatur Regibus Angliæ, quibus Miniſtri cibum atque potum ingeniculando præbent: *Conf. Becm. Dign. Diſſ. I. c. 2. n 2.* Cauſam hujus Ceremoniæ quærendam eſſe in publica Subjectione docet Sacer Codex *Eſ. XLV. 23. incurvabitur mihi omne genu.*

§. 24.

Adoratio genuflexioni admodum affinis etiam in Aſiâ videtur primum eſſe introducta. Sic David Saulem *I. Sam. XXIV. 9.* Bathſeba Davidem *I. Reg. I. 31.* inclinato vertice & facie ad terram demiſsâ ſe tur adoraſſe. In Perſiâ antiqvitùs admodum fuiſſe uſitatam monſtrat Hiſtoriâ Cononis, qui aſpectu & colloquio Regis prohibebatur, qvod eum more Perſarum adorâre nollet. *Juſt Lib. VI. Nep. in Vit. Ej. c. 3.* In occidente eam ſtabilire niſus eſt Diocletianus, qui adorari voluit, cum ante eum cuncti ſalutarentur. *Eutrop. L. IX.*

§. 25.

Oſcula Aſiæ incolis præſertim placuerunt, ſucceſſu autem temporis mos iſte in Europam etiam invectus eſt. Sunt verò vel faciei, vel Manuum, vel veſtium, vel pedum. Oſcula faciei partim reverentiæ, cum primis tamen Amoris ſigna ſunt: & monumenta, qvæ ritum hunc eſſe vetuſtiſſimum evincunt, extant etiam in Sacris litteris Gen. XXXIII. 4 Eſavus Jacobum: Gen. XLV. 15. Jacobus fratres: Exod. IV. 7. Aaron Moſen oſculatur. A privatis poſtea tranſit hic ritus ad Perſonas illuſtres atque publicas, ceu Exemplum Saulis atque Samuelis I. Sam. XI. Davidis atque Abſalonis II. Sam. XIV. luculenter monſtrat. Conſtantinopolitanis Imperatoribus Principes die Paſchatos manum Dextram oſculari, poſteaqve genam ſoliti fuerunt. Et ipſum Cæſarem Rom in Romanâ Coronatione Maxillam Pontificis oſculo tangere conſveviſſe, ex Coronatione Caroli V. patet, quam deſcripſit Henricus Agrippa.

§. 2, Oſcula

§. 26.

Oſcula manibus figi omnibus ſolennibus actibus fermè eſt proprium. Legatus Siamicus Regis Hiſp. manum oſculatus eſt A. 1617. Arnold. Mont. fol. 118. Sic & Caroli II. moderni Regis Hiſp. manum ipſa hora qvâ glorioſiſſimus Parens ejus obierat, Proceres quotquot aderant ſtatim oſculatum ivere, quos etiam, licet non niſi quartum ageret annum, ſtupeſcentibus ipſis excepiſſe traditur ab *Autore Germ. Gall. Tract.* von Kranckheit *Teſtament* und Tod *Philippi IV.* K. v. Sp. Status quoqve Sveciæ Caroli Guſtavi manum oſculari ſunt referente *Thuld: P. I. L. III. p. 193.* Et forſan ritus iſte à Romanis ortum traxit; Horum Imperatores antiqviſſimi enim (uti Plinius ait) in adorando dextram osculo exhibuerunt. L. XXVIII. H. N. c. 2. Qvod etiam notavit Sveton. in Vitâ Caligulæ & Domitiani.

§. 27.

Veſtium oscula præſtita fuerunt jam ſuperiori ævo apud Cæſares Romano-Græcos, quorum purpura flexis genibus tangebatur: Dextra verò qvæ purpuram tetigerat poſtea oſculo confeſtim erat afficienda: *uti obſervavit Salmuth ad Panciroll.* Noſtra memoria A. M. DC LXV. in aula Imp. eo nomine à Turcico Legato mota fuit Controverſia. Cupiebat enim facultatem Imperatoris manum oſculandi, cum tamen anteceſſoribus tantum Pallio oſculum applicare licuiſſet. Ealis verò ita eſt compoſita, ut pallium quidem oſcularetur, ſed illud ſimul pectori firmiſſimè applicaret. *Diar. Europ. Cont. XII. p. 41.*

§. 28.

Pedum oſcula ſoli ferè Romano Pontifici hoc ævo exhibentur. Et ritus iſte qvidem inter Privilegia Pontificatus à Gregorio VII. relatus eſt. Actum ipſum Cardinales ſtatim poſt electionem inchoant, ita tamen, ut manum atqve os ſimul exoſculentur. *Thuld. ad A. M. DC LV. de Electione Alexandri VII* Ab iis deinde ritum oſculi ad totum ſacrum ordinem reliqvosqve Principes extenſum volunt. Habent eqvidem prætextum Pontificii, quo vulgò Jus & debitum figendi oſcula defendunt, aſſerentes non Pontifici, ſed cruci, cujus formam crepida papalis ſiſtere putatur, eum exhiberi: Sed quo talo ſtet excuſatio tam frivola, haud obſcure liquet, Multis non improbabile videtur, ritum

 hunc

hunc ab Ethnicis petitum, & Romanis Sacris protervè immixtum eſſe. Interim tamen etiam in civilibus negotiis pedum oſculatio quandoqve fuit in uſu. Namqve Caligula Pompejo abſoluto & gratias agenti ſiniſtrum pedem oſculandum præbuit. *Sen. de Benef. L. II 12.* Et Rollonem, Normandiæ Dominum, cum Provinciam in feudum accepturus eſſet à Carolo ſimplice R. G. pedes ejus oſculatum eſſe referunt Scriptores ejus temporis.

§. 29.

Atqve iſta omnia ad cognoſcendum Ceremoniarum finem faciunt. Jam ex his, qvæ hactenus ſunt tradita, haud difficulter peti poteſt Qvæſtionis primæ reſolutio. Natura enim rationalis atqve ſocialis obligat ad finem, ſcilicet ad aliquem externum cultum, qui internum indicet: Dedit quoqve media, h. e. facultatem partes corporis ad talem actum diſponendi, unde cultus aliquis exterior conjicitur: Ipſa quoqve innuit, qua forma, ſive ſub qvibus circumſtantiis communibus membrorum applicatio ad hunc vel illum motum debeat inſtitui. Conſeqventer obligaſſe præſumenda eſt, ad ea, qvæ medii exteriorem cultum exſolvendi rationem habent: eorumque uſum atqve actualem applicationem etiam intendit. At inſtinctus iſte naturalis finem eqvidem determinat, circa media verò ſub his vel illis circumſtantiis nihil præcisè ſpecificat, ſed in generalibus ſubſiſtit, & electionem ſpecialem voluntati liberam permittit; Hinc poteſt gens aliqua certas Ceremonias civiles, ut eo melius negotiorum Harmonia conſtet, introducere, introductasqve & longinquo uſu firmatas omni ſtudio tueri. Et in quantum iſtæ ceremoniæ ex prævio naturæ ductu ad exerendam obligationem naturalem aut civilem ordinatæ ſunt, nec à natura atqve Statu hominis penitus recedunt: non poſſunt non humanis moribus congruere.

§. 30.

Qvamobrem conſtabit jam qvid ſibi velint ritûs perſonarum in Republ. viventium. Sive enim ritûs ſuperiorum erga inferiores, ſive ritûs inferiorum erga ſuperiores inſpiciamus: utrobiqve videbimus valorem de qvo hactenus in ſupradictis egimus. Superiores cumprimis dant operam ut è Ceremoniis eluceſcat Autoritas & Benevolentia qvod etiam abundè poteſt conſpici quotiescunqve ſuperiori cum æqvali

res eſt. Et hic Ceremonias vel immediatè in propria perſona præſtant, vel mediatè per Miniſtros. In priori caſu fieri conſvevit: occurſus, Amplexatio, Exoſculatio, Loci qvi præjudicio careat, electio, locutionis ordo & idioma lingvæ: &c. Ita tamen hæc diſponi ſolent, ut pro mutatione ſortis aut ſevere conſerventur, aut remiſſe exſolvantur. Neqve enim eodem ceremoniarum gradu erga captivos factos Reges alii ſe gerere ſolent; neqve promiſcuè occurſum inſtituere, ſed aut adventum alterius præſtolari, aut eodem tempore in loco convenire; Habent enim exactiſſimam Dignitatis rationem. *Vid. Richardus Zouchaus de Jure & Judicio feciali inter Gentes P. I. S. IV. p. 21.*

§. 31.

Mediatè per Miniſtros ceremoniæ præſtantur, vel ab una parte tantùm vel ab utraqve. Illud fit qvando ab altero Superiore ad Æqvalem mittitur Legatus. Et tunc ceremoniæ Legatorum vel Principis Benevolentiam exprimere debent, atqve Majeſtatem, vel propriam Reverentiam. Hinc in India Legati coguntur toto corpore procumbere, quôqve longiori intervallo imperanti hunc honorem exhibent, ut facie ad terram aversâ procumbant, eô majoribus poſteà præmiis afficiuntur. *Mandelsl. l. c. 27.* In Regno Cauchin Legatus Tartaricus ter procubuit coram Rege, & abiturus ante Thronum ter ſe incurvavit, verſus Scalam in quâ pedes Regis quieverant, *Pinto Itin. c. 40.* Illum in finem caput in Europâ tegunt, & poſtqvam commodum videtur, aſſident. De Moſcorum Principe notatur, quod Legatum non admittat, niſi gladio depoſito; *Olear. Itin. L. I. p. 35.* Ac proindè iſtud in ſecuritatis documentum à quibusdam tractum eſt: nos vero illud etiam ex obſervantiâ proficiſci, non leviter ſumus perſvaſi.

§. 32.

Imperans ad quem Legatus mittitur in benevolentiæ ſignum erga mittentem, & indicium benignitatis erga miſſum ſolennem introductionem procurat, publicam admiſſionem concedit, de cultu & victu proſpicit, donisqve conſpicuis ornat. Qvâ in re præſertim attendi meretur audiendi ritûs. Ita enim Rex Hiſpaniæ Legatum Japonicum nudo & inclinato capite audivit. A. 1614. Imperator Japon. oblatas à legato Regis Angliæ literas capiti impoſuit. *Lud. Gothfr. Ind. Orient.*

nomine ornatam ac pulcherrimo velamine tectam. Simul ac illuxit novilunium conveniunt Perſonæ illuſtres detectæque velamine in genua procumbunt, tanta reverentia tantaque ſubmiſſione ac ſi Imperator ipſe adeſſet, *Maffej. L. VI. H. J. p. 268.* Iidem Chinenſes Thronum venerantur, ſæpius ad terram caput incurvando, & eandem Ceremoniam Legatis etiam injungunt *Nuhof. p. 192.* Nec minorem reverentiam in Palatio teſtantur, qvo Regia inſignia reſervare mos eſt *Id. ib. d. p. 186.* Mandatum Imperatoris ſcripto conſignatum nemo audet intueri, donec id Ceremoniis Imperatori debitis exceptum fuerit. *Martin. H. S. L. IV. p. 112.*

§. 36.

Sed iſta prolixius ſumus perſecuti, quàm res ipſa poſtulare viſa eſt. Regrediamur itaque ad quæſtionem alteram, & diſpiciamus: *An Gens aliqua poſſit exteros ad ſe venientes ad ceremonias in ſua Republ. receptas obligare?* Neque vero ſatis commoda reſponſio ſubjungi poterit, niſi materiam in ipſa quæſtione occurrentem, diſtinctius dilucidatam præmiſerimus. Quamobrem ſecernendas à ſe invicem exiſtimamus *tum Perſonas, tum & Ceremonias.*

§. 37.

In diſcrimine Perſonarum dignoſcendi illi ſunt, *qui adeunt gentem aliquam, à populis quos adeunt.* Qui exteram Rempubl. ingrediuntur, *vel ſunt mere privati*, & nullũ characterem ſuſtinent in Patria, qui ſtatum publicum afficiat: vel civili, quodam Axiomate corruſcant vel ob natalium ſplendorem, vel ob muneris ſublimitatem. Sæpè enim accidit, ut ejusmodi Perſonæ vel in cauſa propria peregrinos adeant, nec poſſint facere, quin publicis conventibus interſint. Vel etiam in cauſa publica accedunt, & Legati ſ. Miſſi audiunt. Et hi iterum vel mittentem ipſum referunt ejusque characterem ſuſtinent, vel conſiderantur tantum ut ab ipſo miſſi.

§. 38.

Illi quos adire ſolent alii, vel Barbararum gentium rationem habent, & elegantioris cultus & ſublimioris Politicæ rudes aut expertes ſunt: aut moratioribus annumerantur. Illi neſciunt quid ſit libertas &

 præro-

prærogativa ſubditorum, ſed in relatione ad Imperantem omnes ſervorum loco habent. Aliorum conſuetudinum aut nullam aut ſaltem proletariam notitiam indepti, ſuas tantum ſervant, peregrinas alto ſupercillio contemnunt. Hi poſt adhibitam animi culturam ad rationem vivere ſueti, ſuis rebus non tam pertinaciter inhærent, quo minus de externis quoque ſint ſolliciti, & quid in his obtineat, queant perſpicere.

§. 39.

Qvantum ad ceremonias ipſas, aliæ ſunt mere civiles, aliæ proveniunt ex habitu Religionis, Etenim experientiâ compertum eſt, conſueviſſe gentes quasdam exteros ad ſe venientes ad ædem quam ſumma cum Religione colunt ducere, priusquam publicis commertiis eos patiantur intereſſe, ad Thurificandum incitare, aut coram Idolo Epulis excipere, &c. Merè civiles vel ſunt contra conditionem hominis ingenui, & excedunt debitum, quatenus & exſolventi & ejus Principali præjudicare præſumuntur: Tales ſunt quæ ſervitutem & abjectionem infimam involvunt. Vel etiam ſubſiſtunt intra Terminos debitæ moderationis, & proportionem obligationis neutiquam excedunt.

§. 40.

Hæc in anteceſſum præmittenda duximus. Jam enim inde has deducimus Concluſiones: *Vir privatus & in exteram Rempubl. delatus, nihil habet quo contra ejus Reipubl. ritus atque conſuetudines excipiat, aut iis ſe ſubducat: niſi ceremoniæ Religionem tangant, & eandem lædant.* Eſt enim ex eodem ordine, qvo ſunt privati ejus Reipubl. nec minus obligatur generaliter ad exhibendum cultum ſubjectionis atque Reverentiæ, ac illi: Simul ac vero ingreſſus eſt Rempubl. ſpecialem obligationem induit ad recipiendum morem, quem Reſpublic. ſuis civibus impoſuit, habet enim rationem hominis merè privati, viventis in Societate Civium. Adeoque huc non temere accommodabitur proverbium, quod Romæ Romano more jubet vivere. Sed circa poſterius concluſionis noſtræ membrum probè obſervandum eſt, quod in eo caſu duarum Societatum concurſus fiat; quotiescunque autem hoc contingit, ipſa quoque docet ratio; *quod inferior ſuperiori cedat,*

Neu-

Neutra enim poteſt immittere manum in alterius jura; & recuſandus eſt cultus Homini, qui reſervandus Numini.

§. 41.

Quæ Perſonæ ſtatum publicum afficiunt & civile axioma vel ex natalium ſplendore vel muneris ſublimitate habent, eorum jura altius excurrunt, quam ut promiſcuè à quovis populo conſtringi poſſint. Illi, quos naſcendi ſors communibus Tabulis exemit, etiamſi extera in Rempubl. ingrediantur, non tamen rationem privatorum habent, ſimul ac de ipſorum præſentia publicè conſtat. Hi ergò *nullis ceremoniis adſtringi, quæ ex inſtituto Reipublicæ ſubjectis deſtinantur, poſſunt.* Sed ſub intelligimus inſignem natalium ſplendorem qui communem ſubditorum ſortem tranſcendit. In ejusmodi Perſonis (quales qui Regio ſangvine prognati ſunt,) dignitas non penitus expirat, ſi vel maximè poteſtas abſit. Non magis ergò poſſunt obligari quam ipſorum dignitas admittit. Ex quo ſimul conſequitur, in Reges, aliosque abſoluta & à neminis arbitrio pendente poteſtate præditos, multò minus cadere ritus qui inferioritatem innuunt: Qui enim ſunt ejusdem ordinis ex eodem genere, non niſi æqualiter ſe obſervare atque colere, ſi jura circumſpicias, tenentur.

§. 42.

Per eos qui gravitate munerum prærogativam aliquam obtinuiſſe præſumendi ſunt, intelligimus præcipuè Legatos & officiales primarios. His & ad ſe ipſos & ad Reipubl. ſuæ mores atque conſvetudinem reſpiciendum eſſe dictat ratio. Tenentur enim ſe in iſto ſtatu conſervare, ad qvem illos ſors & Reipubl. judicium evexit. *Quæcunque ergo ceremoniæ pro moribus patriis vitioſi aut abjecti quid inferunt, & cum alicujus perſonæ ſtatu pugnant; illæ ab eadem exigi non poſſunt.* Perſpectum id ſuo jam tempore habuit Tithrauſtes Perſa, qui, cum Conon cum Artaxerxe in colloquium deſcendere deſideraſſet, eidem Autor erat, ut potius per literas conficeret, quæ vellet: probè gnarus προσκυνεῖν ſeu adorare ipſi grave fore. Qvod & Conon poſteà confitebatur inquiens; non ſibi grave eſſe quemlibet honorem exhibere Regi: *Sed vereri ne civitati ſuæ ſit opprobrio, ſi barbarorum potius, quam illius more fungatur*

§3. Lega-

§. 43.

Legati qui mittentem ipſum referunt ex toto, & non ſecus ac ſi ipſe præſens eſſet ſunt habendi, *ne quidem minima ex parte poſſunt ceremonias ſuſcipere, quæ charactéri competenti ſunt oppr brio, & ex quibus ignomia in Principalem poſſet redundare.* Adeoque hic menſura ex mittente depromenda eſt: ad quod enim iſte obligatur, ad id obligatur etiam qui vices ejus ſuſtinet. Si quid ultra intentetur, jus & æquitas reclamat, alterumque à ſolvendi debito abſolvit. Sic nemo talem Legatum coëgerit, ut humi procumbens eum ad quem mittitur adoret, aut ſervi more ſtet, dum ſuo munere defungitur; Hinc Fridericus I. admodum indignè tulit, quod Græci Legato ſuo ad colloquium admiſſo non ſedendi libertatem ad Exemplum aliarum Nationum obtuliſſent. Arſaces autem Orobazum, cui Legationem ad Sullam commiſerat, propterea necavit, quod ex tribus ſedibus allatis Sullæ mediam permiſerat: *Zouch. l. c. de J. & J. F. p. m. 27. Si qui verò mores in Republ. recepti ſint, quos ex opinione populi negligere nefas eſt, iique exſolventi planè non in detrimentum vergant: Tunc humanitatis eſt, ſe moribus ac nationum genio accommodare.* Ita in Hiſpaniam delatus non gravetur veſtem nigram adaptare, quando coram Rege comparendum eſt; *Voyage d' Eſpagne p. I. p. 77.* Cum enim omnia gravitatem ſpirent, quæ ex inſtitutis hujus Nationis introducta ſunt: nemo facilè mirabitur, etiam in publicis negotiis habitum ſeveritatis ſpeciem habentem prærequiri, cum omnem levitatem animi in rebus arduis velint exulare. Quod multo aliter fit in Aula Turcica. Ibi enim atræ veſtes ægre & quidem indignante populo admitti ſolent, cum in ea ſint ſententia, non convenire eas locis, ad Magnificentiam compoſitis, quod ipſe eſt expertus *Busbequ. Ep. I. p. 66.*

§. 44.

At verò hic cum primis Nationes diſcernendæ ſunt, cum quibus res eſt. Moratiores (quæ ipſorum debet eſſe humanitas) nimis duri forent, niſi quandoque cum Barbaris acturi in illorum mores condeſcenderent, ſeque ipſorum ingeniis accommodarent. Sunt enim aliqua in actionibus & inſtitutis Barbararum nationum, quæ non malitiam ex proæreſi ortam, ſed infirmitatem arguunt & ignorantiam: atque hæc omninò veniam merentur, penè dixerim commiſerationem.

Quicunq;

Quinimo [illegible] *ex illorum autem* [illegible] [illegible] *de Moſcovia. Princ.* [illegible] *L. V. c. 6.*

§ 45.

[illegible]

§ 46.

[illegible]

[illegible] Reipubl. [illegible] quæ [illegible] compoſitum [illegible] pabl. [illegible] [illegible] quem [illegible] [illegible] quibus [illegible] vero [illegible]

§. 47.

Atque [illegible] hæc ad [illegible] hujus materiæ [illegible] conferre [illegible]. Non [illegible] ut [illegible] undiquaque [illegible]. Et tamen [illegible] qui [illegible] [illegible] L. B. [illegible] ut, quod non [illegible] ſpiciet, [illegible].

FINIS.